

ESTICA
A. 5085

164.

869

1/2 100

GOSTAVVS-ADOLPHVS
REX SUECIE

Dei gratia
Castro
F. theobaldus
Augusto felicior
T. jano cordor
Vespasiano clementior
Nimis P. iustior
M. iano manducator
A. voluo benignior
Ecclesie pariter melior
R. equis. laqueis melior
P. omnia christiam.

Omnis Populus Suec-
cicus annuus dicat
A M E N.

1621

ORATIO
De

LEGITIMA VOCATIONE MINISTRORUM ECCLESIAE.

7

HABITA AROSIAE
IN SYNODO ANNIVERSARIA
5. Septembris A. 1619.

à
JOHANNE RUDBECHIO S.S. TH.
& Philos. Doctore, ac ejusdem loci
Episcopo.

ROM. 10.
Quomodo prædicabunt nisi missi fuerint, &c.
HEBR. 5.
Nemo sumit sibi honorem, nisi qui vocatur à
DEO sicut Aaron.



Holmiae
EXCUDEBAT IGNATIUS
MEYER. Anno 1621.

Illustris ac Beatiss.
2000 Domini

Illustris ac Generoso Domino, D. AXELIO OXEN-
STIERNA, L. B. in Kimito, Domino in Fijholm &
Tydhön, Equiti aurato, nec non regni Sveciæ Senato-
ri & Cancellario Magnifico, Domino, fautori ac
promotori pl. colendo. S. & prospera quæq;
à Deo Opt. Max. precatur.

Illustris & Magnifice Domine Cancell. fautor & promotor singulari-
ter honorande, habui ante biennium fere in Synodo Arosiensi orationem
culam, de legitima ad Ministerium Ecclesiæ vocatione. Partim ut me
ipsum & alios in hoc officio constitutos, quid nostrarum hac in re esset
partium communesacerem, partim ut juniores qui etiamnum ad functiones
Ecclesiasticas aspirant in vera sententia informarem. Ne vel non
vocati officium sese ingererent, vel legitime vocati sua opera Ecclesiæ dees-
sent. Hanc qualemcumq; orationem ut typis evulgarem, etiamsi per plures
me rogaverint, & tantum non esslagitarint, nolueram tamen id facere
priusquam Doctorum virorum suffragia invenirem. Nunc cum à pluribus
lecta & approbata sit, diutius me difficilem præbere non potui, sed eorum
petitioni locum dedi. Accedebat & alterum, quod non pauci hodie repe-
riuntur alij, qui haud rectè informati, plus juris in hac vocatione sibi ar-
rogant quam iis jure debetur, eoz; in alios injuriæ sunt, & legitimam vo-
cationem non raro impediunt aut perturbant. Qui si hac simplici de-
claratione rectè edocti sese emendent, non exiguum me huius operæ
fructum invenisse gestiam. Hanc v. T. G. & M. propterea dedico &
inscribo, quod inter eos qui hac de questione rectè judicabunt T. G. &
M. facile primum locum obtinere haud dubitem. Eoz; si T. & G. tis & Mæ,
ut scio, consensum & suffragium merebitur, ab aliis haud facile repudi-
um patietur. Tum etiam ut grati animi qualemcumq; à me extet indi-
cium, quo Tæ Gtis & Mæ in me profecta beneficia non prorsus extincta
& oblivione sepulta esse constet. Rogo a. perquam demisse, ut hoc exi-
gui præcis manuscriptum T. G. benigno vultu excipiat, donec Deo volen-
te potiora & magis digna præstare & offerre potuero. Quibus. T. G. &
M. cum tota illustri familia Divinæ protectioni devote commendo. Hol-
miæ 24. Junij Anno 1621.

V. & G. ti & M. æ Addictissimus
Johannes Rudbeckius A.



ORATIO.
DE VOCATIONE MINI-
strorum Ecclesiæ.

Reverendi, Claris. Doctiss. & Humaniss. *Exordium*
viri, amici, collegæ & fratres in Chri-
sto plurimum dilecti. Nemo omnium
reor, suarum rerum tam est negligens,
qui eorum vel immemor vel ignarus
sit, quæ ipse non modò facere incipit:
Sed etiam incepta continuat & continuata perficit
& absolvit. Vos ipsi me primum in vestrum Antistitè
& præfulem elegistis, electum à R. M. Domino nostro
clementissimo, vobis concedi postulastis, concessum de-
niq; & confirmatum obtinuitis. Quamobrem initia,
media & finem, totumq; meæ vocationis processum
multis commemorare, esset rem cunctis notissimam
non sine fastidio inutiliter repetere. Attamen quia
præfens actus id suo q. jure à me postulare videtur;
non dubito me gratum vobis facturum, si tamen quæ
brevissimè illud efficiam.

Cum adhuc in vivis esset Beatiss. Recordationis,
vir Reverendissimus simul ac humanissimus M. Olaus
Stephani Episcopus vester dignissimus, & amicus ac
hospes meus exoptatissimus, non rarò mihi apertè di-
xit, sibi ob grandem ætatem, & virium indies magis
magisq; decrepantium defectum, in animo esse Epi-
scopatu se abdicare, & quod vitæ esset reliquum pri-
vatum vivere. Juxtaque mihi author & suafor esse
A 2 voluit,

voluit, ut eundem in me administrandum suscipere-
rem. Verum cum meo iudicio, neque e re ipsius neq;
Ecclesiæ videretur, ut vir rerum divinarum & huma-
narum scientissimus, Authoritate gravissimus, rerum
gerendarum experientia nulli secundus, in turbulen-
to & difficili rerum omnium statu, Ecclesiæ Christi-
anæ munus tam necessarium desereret, atque alteri
minus forte prudenti & experto relinqueret; con-
trarium ei svasi, nempe, ut quam diu vel aliqua ipsi
vires suppetent, in sua vocatione permaneret, ac si
fieri posset, ad extremum usque halitum perduraret.
Cui meo consilio ut eventus postea docuit, etiam ac-
quievit.

Ex eo tamen tempore, rumor subortus mansit,
meam Tenuitatem ejus R.æ in hoc Episcopatu suc-
cessuram. Cui rumori quantum tribuerem, non tan-
tum ego; sed etiam cordatus quilibet facile intelli-
git; præsertim cum quantum homines hominum au-
ribus darent non ignorarem, neque me huic muneri
parem ipse agnoscerem. Quam primum a. D. E. o sic
volente, beatus pater fatis concessisset; ecce quod diu
omnium ore, q. rei futuræ præfagium circumfere-
batur, eventu ipso adimpletur. Nam etiam si nesci-
am unde ea fama vel eruditionis vel prudentiæ de me
posset concitari, quæ tanto muneri gerendo idoneū
pervulgaret: Neque ullum meum vel erga univer-
sos, vel singulos hujus Dioceseos Pastores meritum
extaret: tamen ut ex vestris ad R. M. Literis, tum
etiam ex viro Reverendo & Doctiss. quem in aulam
hoc nomine ablegastis plenius cognovi, ex singulari
procul dubio favore & benevolentia, me in defuncti
locum

locum concorditer elegistis, & à R. M. unanimiter
postulastis. Quod V. H. tum erga me studium & bene-
volentia, quia nullo hæcenus officio sum demeritus,
tanto majori conatu deinceps quam diu vita suppe-
tat demereri studebo. Literæ vestræ ad Regiam M.
hac de re, si placet recitentur. *Hic litera recitata.*

Quamvis a. initio, cum vestrum hoc votum ad
me pervenisset, & me Reverendus vir prænominatus,
ac postmodum Regia M. ipsa hac de re compellaret;
me uti merito facere debebam, aliquandiu excusave-
rim, ac me huic muneri longe imparem esse præten-
derim: tamen cum instantè idè peteretur, & me mu-
neris quod in aula jam diu gessissem propter conti-
nuas profectioes, & alias non exiguas difficultates
tæderet, mecumq; cogitare capissem: si oblatam vo-
cationem hac vice prorsus spernerem & recusarem,
fortasse brevi consimilem sese non oblaturam: mihi-
que sic in aula diutius quam vellem, esse remanendū:
Nec non legitimæ vocationi pertinaciter resistere
nefas esse ducere: tandem meum præbui assensum, &
quicquid divinæ voluntati, simul ac Regi & Domino
meo clementissimo hac in re videretur, eo ipso me et-
iam contentum esse debere judicavi.

Rex quoq; ipse aliquandiu vos suspensos tenu-
it, neq; statim vestræ petitioni locum relinquere vo-
luit. Sed cum paulò post huc Arosiam, & hinc ad Cu-
primontem ei iter esset, atque idem cum hic, tum ibi
ab omnibus peti intelligeret, ac tandem Lincopiæ in
conventu exequiali etiam Episcoporum suffragia his
accederent: postremò etiam S.æ M. assensum præbuit.

Quamobrem præterita hyeme in dicto loco &

conventu R. S. M. Reverendissimo Dn. D. Petro Kenicio Archipræsuli nostro dignissimo, reliquisq; collegis reverendissimis, in mandatis dedit, ut me ad vestram petitionem in hujus Diœceseos Episcopum & præsulem consuetis in Ecclesia solennitatibus ordinarent. Quod ut felix & faustum sit, Deiq; nomini gloriosum, Ecclesiæ salutare, atq; huic inprimis Diœcesi, optabili incremento, velit & jubeat O.M.q; Deus. ita mox executioni mandatum fuit.

Sed quia R. M. iisdem diebus profectio in Daniã maturabat, ac propterea aliis negotiis propemodum infinitis esset occupata, literas confirmationis ibidem petere non potui, nec etiam volui, eo quod adhuc multa in aula expedienda scirẽ, quibus non expeditis locum mutare mihi haud commodum fuisset.

Quam primum a. R. S. M. Dei gratia salva & incolumis Holmiam est reversa, non tam de literis confirmationis quas me nullo negotio accepturum facile perspexi, quam de communi fratrum & collegarũ hujus diœceseos utilitate eram sollicitus. Etenim nõ ignorabam quam tenuis quorundam hic esset conditio, præsertim eorum qui, cum hic apud templum cathedrale, tum alibi in hac diœcesi functionib. scholasticis præssent, quos cum dira paupertate nimis seriõ conflictari jamdudum intellexissem. Itaq; præteritã hanc æstatem in eo propè consumsi, ut aliquod augmentum stipendiorum dictis functionib. obtinerem. Quod nisi me impedivisset, jam pridem huc Arosiam venire potuissem. Verum quia potius mihi Holmiæ aliquid sperare harendum duxi, quam re infecta, immature nimis huc properare: in serum uti videtis autumnum

tumnum meus accessus est prorogatus. Sed Dei gratia, etiamsi propter continuas R. & M. & Magnifici Domini Cancellarii aliorumq; auslicorum occupationes ex nova Regis expeditione, non obtinuerim cuncta quæ volui & proposui: attamen juxta confirmationis literas, etiam augmentum reddituum & stipendii, cum templi cathedralis, tum fratrum & adfessorum in confistorio tandem benignè obtinui.

Si placet literæ confirmationis primo vobis recitentur. Si videretur etiam alteræ vobis prælegantur. *Hic literæ sunt recitatae.*

Audivistis fratres in Christo dilecti, quamobrem tamdiu in aula detentus fuerim, audivistis etiã id quod postremum esse in hac vocatione solet, Regium nempe diploma, quo mihi sæpè dicta functio recepto more est confirmata. Atq; hunc quidem in modum, divina sic cuncta disponente voluntate ad hoc munus subeundum, quantum ego quidẽ intelligo, rite & legitime sum vocatus: unde etiam tantò magis Deum sua gratia mihi adfuturum confido, ut cum ejus laude & Ecclesiæ utilitate illud sustinere queam. Quod cū ita sit, nihil aliud reliquum esse existimo, quam ut invocato numine divino, designatam mihi provinciam administrandam suscipiã. Quod hoc ipso die & hora in vestra præsentia faciam: Si prius de legitima ad ministerium Ecclesiasticum vocatione pauca dixerõ. Quod dum breviter & succincte facio, vos singulos & universos officiose & peramanter rogo, ut me benigne & patienter audire velitis. *Propositio.*

Constat Reverendi & humanissimi viri, DEUM *Narratio.* in his terris ex genere humano Ecclesiam sibi colligere, hoc est, cætum hominum, qui ipsius verbum

verbum audiunt, in ipsum credunt, ipsum invocant & celebrant, atq; sacramentis ab ipso institutis utuntur, quibus post hanc miseram & ærumnosam vitam, aliã verè beatam & æternam propter Christum dare constituit. Atq; ejusmodi Ecclesiam non modo nunc in mundo esse: sed etiam olim & omnibus seculis ab initio mundi fuisse & ad finè usq; duraturam certissime nobis persuademus. Quippe in symbolo nostro apertissimè profitemur, nos credere ecclesiã catholicã & apostolicã, hoc est, talem ecclesiã, quæ omnibus temporibus fuerit & mansura sit, quæ ex omnib. populis & gentibus colligitur, quæ deniq; non hujus vel illius hominis opinionibus addicta sit; sed doctrinam & fidem catholicam & Apostolicam, à Deo per Prophetas & Apostolos traditam amplectitur & defendit.

Hanc Ecclesiam Deus colligit non Enthusiasms & occultis inspirationibus, non violento aliquo raptu, non deniq; æterno & absoluto aliquo decreto, quo hos sine omni respectu salvos, alios eodem modo æternum damnatos velit; sed ministerio verbi & Sacramentorum quæ ipse instituit & ordinavit.

Gen. 3. Nam ipse primus, primis parentibus nostris primum Evangelium: Semen mulieris conteret caput serpentis, in paradiso conceptis verbis prædicavit. Cujus prædicatione & fideli ad posteros propagatione Ecclesia ante diluviũ collecta est. Etenim de Seth filio Adam legitur, quod ejus tempore in nomine domini prædicari capit. Quod quid aliud est, quam doctrinam de Deo, de creatione, de lapsu & reparatione generis humani, auctis hominibus, publice tradi & proponi capisse.

Post

Post diluvium idem ipse Opt. M. 2. DEUS hoc Evangelium ad Patriarchas Abrahamum, Isaacum, Jacobum, ut ex illorum historia notissimum est, non solum repetivit: sed etiã Sacramento Circumcisionis instituto ratum & firmũ fore promisit. Qui erectis altaribus nõ solum precibus & sacrificiis Deum coluerunt: sed etiam datam sibi promissionẽ cum aliis doctrinæ cœlestis partibus prædicarunt. Postmodum educturus populum suum ex Ægypto, Mosen vocavit ei; ore ad os locutus est, & sacramentum Agni paschalis in rei factæ memoriã & futuræ significationem instituit. Imò universo populo in monte Sinai locutus est dum Legem suam promulgavit.

Idem ipse Deus succedente tempore in terra Canaan locutus est Samueli, Eliæ, Eliseo, Esaia, Jeremiæ & consequenter Prophetis reliquis, cum legem per Mosen datam inculcans, tum repetens promissiones datas patrib. & porrò futura prænuncians.

Donec tandem novissimis diebus locutus est nobis in *Hebr. 1.* Filio, in quo manifestè non tantũ implevit, quæ per prophetas locutus erat: verum etiam fusius & clarius salvificum Evangelium ex sinu suo protulit, quod hactenus Legum typis & prophetarum figuratis sermonibus tectũ fuerat. Eademq; opera, antiquæ Legis sacramenta abrogavit & nova instituit.

Ex quibus manifestum est, quod etiam si Deus aliquãdo per visiones & somnia voluntatem suam hominibus revelaverit: tamen quoties res ei maxime seriæ fuerunt, toties manifeste se eis ostenderit atq; voluntatem suam claris & perspicuis verbis indicavit. Quæ qui audiverunt, & una cum sacramentis ab ipso institutis amplexi sunt, ejus civitati adscripti, & Ecclesiæ ipsius cives facti sunt.

B

Ast

At quia Deo ipsi non omni tempore, nec omnib. hominibus immediate loqui visum est, alios homines sibi adungere, suiq; verbi ministros & præcones esse voluit. Qui verbum ab ipso semel atque iterum auditum, alios sua voce & prædicatione docerent & ad posteros propagarent. Ejusmodi verbi divini præcones & ministri ante & aliquandiu post diluvium fuerunt primi Patres & Patriarchæ. Ante diluvium, Adam, Seth, Enos &c. A diluvio, Sem, Arphaxad, Sala, Eber, Peleg &c.

Hos omnes Deus sibi associavit, iisq; ad suum verbum prædicandum, & colligendam sibi Ecclesiam usus est, non singulos immediate alloquens, & Speciatim hoc illis injungens: Sed quantum ex illorum temporum Historia colligere promptum est, cuique ex jure hæreditatis & successionis illud muneris reliquens. Nam uti videtur, a rerum omnium primordio, ad Mosis usque tempora, Primogeniti semper filij, & reges & Sacerdotes fuerunt, quibus competebat universam familiam non modo civiliter gubernare: Sed etiam in pietate & vera Religione instituere. Quapropter Esau filius Isaac reprehenditur, quod vili admodum precio, rufa nimirum polenta fratri Jacobo tam eximium jus & Privilegium, nempe primogenituræ divendidit.

Hanc eandem ob causam Deus etiam educens populum suum ex Ægypto, Primogenitos Ægyptiorum occidit, eo quod docendi munus vel omittentes, vel eodem nefarie abutentes, Ægyptios perversis superstitionibus & erroribus, de Deo & rebus diuinis circumferri sinerent. Sibiq; omnes primogenitos ex filiis Israel ascivit, ut ministerio ecclesiastico in populo ipsius fungerentur. Ex quo vicissim duo alia manifestè colligi & cõcludi possunt: Prius nempe: quod Deus non semper

propria

propria voce: Sed interdum quoque aliorum nominum voce & ministerio sibi Ecclesiam colligit, eamque de rebus ad Salutem necessariis instituit. Posterius, quod hoc sc. Docendi ministerium a mundi exordio ad Mosen usque primogenitis hæditarium fuerit, neque tunc aliam ordinarie vocationem expectaverint.

In deserto Deus peculiari consilio in locum primogenitorum integram tribum Leviticam sibi adoptavit. Num. 3. Levitis v. præcipua ministeria Aaroni ejusque filiis & posteris sunt designata, utpote qui soli Sacerdotio fungerentur: Reliqui Levitæ viliora ministeria sustinerent. Juxtaque severè prohibitum fuit, ne quis aliunde ad Altare Domini accederet. Uti hæc ex 4. lib. Mosis. C. 3. desumpta sunt.

Ex eo tempore ordinarium docendi munus in populo Dei penes hanc unam tribum mansit, quam diu Judæorum Resp. duravit. Neque tunc alia vocatio requirebatur, nisi justa ætas in Lege definita: ad quam dum pervenissent, docendi munere in civitatib. & earum synagogis fungebantur: singulis sabbathis per vices, aut alio publicè sancito ordine, Mosen & prophetas populo prælegebant & explicabant: ac deinde juxta constitutionem Davidis 1. par. 24. & 25. per vices Jerosolymis apud tabernaculum vel templum ministrabant. Qui v. ex familia Aaronis ad summum sacerdotium provehebantur: ij peculiaribus ritibus ungi & ordinari debebant, ut Exo. 29. & Lev. 8. præscriptum legimus. Ex quibus iterum colligere promptum est, quæ tunc ratio vocationis in Ecclesia fuerit. 1. Par. 24.
Exo. 29.
Lev. 8.

Verum ut succedentib. temporib. innotuit, neque hanc constitutionem Deus perpetuam esse: sed tantum ad Messia tempora durare voluit. Quapropter etiam per

B 2

pro-

Esa. 66.

prophetas suos longè ante prædixit, venturum aliquando tempus, quo ad omnes gentes missurus esset, easq; ad Ecclesiam suam adducturus, ut ex iis sibi Sacerdotes & Levitas assumeret. quod apud Esaiam 66. legitur.

Rom. 11.

Quod ipsum quoq; adveniente Messia completum cernimus. Nam ut ex Evangelica historia constat: Christus Iesus missurus nuncios suos in universum terrarum orbem, eos non ex tribu levitica solum assumpsit: sed etiam ex aliis tribubus Israël. Etenim præter alios Johannem & Jacobum consanguineos suos ex eadem tribu Juda oriundos in illum numerum cooptavit. Paulus quoq; tribu Benjamin oriundus, ut ipse de se confitetur Rom. 11. in peculiarem Gentium Doctorem selectus fuit. Et quemadmodum ipse filius à patre missus erat, ut adjunctis sibi Apostolis Evangelium hominibus annuntiaret: ita ille Apostolos misit ut alios sibi adjungerent idemq; facerent, sicut ipse testatur Joh. 20.

Joh. 20.

Apostoli itaq; à Christo ad prædicandum Evangelium ablegati, in diversas nationes iverunt, & Magistratu civili aut populo minimè consulto, munus docendi obibant. Ubi admissa Evangelii prædicatione, ecclesiam aliquam potuerunt colligere, inde vicissim abituri Ecclesie pastores & Episcopos non prætoriam auctoritatem; sed invocato numine divino, consensu & impositione manuum presbyterii præfecerunt. Ubi v. recepti non sunt, juxta instructionem sibi à Christo datam, excusso pulvere de pedibus suis alio se receperunt, ut ab ipsis Act. 1. 6. & 14. hæc facta legimus.

Succedentibus temporibus, postquam Imperatores, reges & principes etiam Christianam fidem receperant, & Ecclesie Christi membra facti essent; etiam summi Magistratus consensus & suffragium ad Ministerii vocationem requiri capit.

capit. Unde ad eum tandem, præcipuos verbi ministros, utpotè Episcopos & prælatos confirmandi jus & potestas devoluta est. Ut ex historia ecclesiastica, constitutionibus & exemplis prolixè deduci posset. Cæteros minorum ordinum ministros etiam si expresse suis literis Magistratus non confirmaret: tamè ab eo confirmati habebantur, qui eo non repugnante ab ordinariis vocati & ordinati fuerunt.

Ab exordio itaq; N. Testamenti, non jure primogenituræ, non familiaris & natalium prærogativa, sed legitima electione Ecclesie ministri vocati & constituti sunt, ut porro ex his quæ dicta sunt quivis intelligit.

Atq; etiam si hoc quidem modo, ordinariè Deus verbi ministros in Ecclesia sua vocari, & ad hunc ordinem nos homines alligatos esse voluit: tamen seipsum huic ordini nequaquam ita adstrinxit: Quin cum ordinarii doctores vel neglecto munere suo, sive horrenda vitia in vita, sive errores in doctrina, in Ecclesiam irrepere sinerent, vel ipsi etiam suo exemplo aliis scandalum præberent, aut in errores inducerent, Ipse extraordinariè & immediate neglecto hoc ordine alios vocaverit, & ad reformandam suam ecclesiam, vitia corrigenda, & errores tollendos miserit. Interdum tales, qui prius ordinariè docendi munere fungebantur, interdum plebeios homines, qui ad hoc munus prorsus videbantur inepti.

Ante Diluvium quando in priorem mundum, non tam errores in doctrina, quam scelera & flagitia ac omnis turpitudine plenis cataractis inundarent, quæ Deus universali diluvio vindicare & punire statuisset: Ipse immediate Noeum virum justum & perfectum in generatione sua, ad docendi munus vocavit, qui 120. annos homines sui seculi ad penitentiam hortatus est.

Gen. 17.

... cum vicinim idololatria, simul ac omnis generis impietas vires fumeret, Deus ipse Abrahamum ex Chaldea immediate vocavit, & doctrinam de promisso femine ad illum repetivit, quam ille non modo posteris & nepotib. traderet, sed etiam vitæ integritate & innocentia exornaret, quemadmodum Deus ipsi præceperat: Ambula inquit coram me & esto perfectus, &c. Ge. 17.

Num. 33.

Elapso aliquo tempore 400. circiter annis, cum Abrahamæ posteritas aliquandiu in Ægypto peregrina fuisset, atq; ex diuturna conversatione cum Ægyptiis, corū erroribus & superstitione contaminari cœpisset: Deus ipse nullo primogenituræ habito respectu, Mosen vocavit. Aaron n. Mose natu grandior erat, ut ex Num. c. 33. & Deut. 34. liquet. Non tantum ut educeret populum ipsius ex Ægypto: sed etiam ut cultum divinum & religionem in Ægypto prope collapsam restauraret.

Quando jam populus Dei aliquandiu in terra Canaan habitasset, & per conversationem, connubia & alios contractus cum vicinis gentib. idololatria & aliis gentium abominationibus inficeretur, nec ordinarii sacerdotes ea qua par fuisset severitate talia arguerent, neque populum ad sanam doctrinam revocarent: non rarò Deus ipse prophetas immediatè & extraordinariè vocavit & excitavit, modo ab aratro, modo à pecorum pastu.

Sic quando Eli cum suis filiis negligenter sibi concreditum munus administrarent, Deus Samuelem excitavit, Tribus & familiæ respectu minimè habito.

Sic contra idololatriam in regno Israelitico, & paulatim etiam in regnum Juda irrepentem, excitavit Deus Eliam quidem è familia Aaronis, at Eliseum ab aratro, Oseam è tribu Isaschar, & porro Amosum à custodia pecorum,

corum, Naum denique Habacum & Sophoniam & Simeon.

Postremò etiam filium ipsum è tribu Juda, immediate ad prædicandum Evangelium è cœlo vocavit, sonora voce ipsum proclamans filium suum dilectum, quem omnes audire tenerentur. Qui similiter Apostolos ipse sua voce vocavit & in universum mundum ablegavit. Neq; etiam postea planè destitit, extra ordinem nonnunquam Doctores excitare, sicubi vera doctrina tenebris humanarum traditionū esset obscurata, & aliqua singulari reformatione Ecclesiæ opus esset.

Hoc tamen perpetuo discrimen fuit inter ordinarios Ecclesiæ doctores, & eos qui immediatè & extra ordinem à Deo excitati sunt, quod hos Deus aut potestate edendi miracula, aut prænunciandi futura, aut aliquo externo signo & peculiari S. sancti testimonio ornaverit, quo suæ vocationi fidem facerent: Illos verò miraculis, aut prophetiæ dono, aut externo signo vocationē suam probare necessum nunquam fuerat. Quod serie sacræ historiæ demonstrare haud erit difficile.

Noe prædixit fore diluvium, & in rei signum, arcam quâ ipse cum sua familia servaretur, ædificavit. Cujus prædictionem ipso adhuc vivo eventus comprobavit. Abrahamæ datum fuit signum circumcisionis, nec non revelatum fuit semen ejus fore peregrinum in terra non sua, &c. quod non ita multo postea evenit. Quid referam singularem victoriam de tot Regibus reportatam, & filium in senectute natum de uxore sterili? Quot miraculis Moses, Elias, Eliseus, reliqui prophete, Christus ipse & Apostoli suam vocationem testatam fecerint, per longum foret & supervacaneum recensere.

Iohannes Baptista etiamsi miraculis non claruerit: tamen

natus ex matre Iheronimi & provectora aetatis, ejusque nativitas jam olim à prophetis praedicta fuerat: nec non miracula cum in conceptione tum nativitate ejus contigerunt. Ut omittam novum sacramentum Baptismi, quod is jussu divino primus administravit, & quod maximū est, Christus ipse stupendis miraculis mox subsecutus ejus vocationem suo testimonio comprobavit.

Atque ut porro historiae commemorant, prophetae posteriores, etiam si dono faciendi miracula à Deo instructi sint, ut eo majori authoritate docerent, & si quae vitia in Ecclesiam irrepsissent, eo facilius corrigerent: non minus tamen quam ordinarii sacerdotes ad doctrinam & religionem per Mosen traditam fuerunt alligati, ut ex

Deut. 13.

Deut. c. 13. manifestum est: ubi Deus ita perspicue mandat: Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium somniavit, & praedixerit signum aut portentum, & evenerit quod locutus est & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos quos ignoras & serviamus eis: Non audies verba prophetae illius, aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum in toto corde & in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timeate, & mandata illius custodite, & audite vocem ejus, ipsi servietis, & ipsi adhaerebitis. Propheta autem ille interficietur, &c. Id quod etiam praecipitur Esa. 8. Ad legem & testimonium, quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.

Esa. 8.

Sic etiam in N. Testamento etiam si Apostolorum discipuli & successores aliquandiu ad doctrinae confirmationem miracula ediderint: tamen ob hanc causam nova dogmata excogitare eis nequaquam licuit: sed ad doctrinam Christi & Apostolorum adstricti fuerunt. Ut ex mandato Christi Apostolis dato perspicuum est. Euntes in-

Matth. 28

quiens

quiens docete omnes gentes, &c. & mox, docete servare omnia quaecumque mandavi vobis. Propterea etiam Christus praedixit venturos pseudopphetas & Antichristos, qui facerent signa & prodigia tanta, ut etiam si possibile esset ipsos electos in errorem inducerent. A quibus alibi cavendum esse monuit. Unde Apostolus quoque ad Galatas scriptum reliquit: Etiam si Angelus de caelo aliud Evangelium praedicaret, Anathema esset.

Atque hoc modo verbi ministros & doctores in Ecclesia vocatos esse Sacrae literae prodiderunt.

Secus, qui docendi munus, aut non vocati sibi arripunt, aut tantum ordinarie vocati, ipsi sibi somnia & revelationes effingunt, & de immediata vocatione gloriantur, eos audire Deus passim in scriptura, nobis severissime prohibet. Praesertim Jer. 23. & 27. ubi integra fere capita in hanc sententiam absumuntur. Nolite inquit audire verba prophetarum, qui prophetant vobis & decipiunt vos, visiones cordis sui loquuntur, non de ore Domini. &c. Non mittebam prophetas, ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Christus ipse similiter Mat. 7. inquit: Cavete vobis à pseudopphetis, qui veniunt ad vos, &c. id est, qui non vocati sunt: Sed ipsi se in docendi munus ingerunt.

Jer. 23. &

27.

Matth. 7.

Nec de meliori nota commendantur illi, qui licet ordinarie & legitime sint vocati: tamen sua hypocrisis & propriis inventionibus homines à veritate ad vanas opiniones sectandas seducunt. De talibus n. Dominus citato loco apud Jeremiam sic loquitur: Propheta & sacerdos hypocritae sunt, & in domo mea inveni malitiam eorum ait Dominus, &c. in prophetis Samariae vidi fatuitatem & prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israel. Et in prophetis jerusalém vidi cogitationes, quae adulteria

C

com-

„ committunt & ambulant in mendacio, &c. & mox: Ec-
„ ce cibabo eos absynthio & potabo eos felle. A prophe-
„ tis n. Jerusalem egressa est hypocrisis super omnē terrā.

*Propositio-
nis divisio.* Ex his quæ ita historice hæcenus relata sunt, quæ ut
è S. Scripturæ historia desumpta: ita extra omnem con-
troversiam certissima & verissima sunt, duo mihi dicen-
da aut potius breviter repetenda veniunt. Prius de legi-
tima vocatione: posterius de non vocatis & illegitima
vocatione.

Prius quod attinet, hæc sequētia in quæstionē veniūt.
1. An necessaria sit aliqua vocatio? 2. Cui competat jus
vocandi? 3. quotuplex deniq; & quæ cuiusq; sit generis.

Anabaptistæ ejus sunt sententiæ, cui etiam ex parte
adstipulantur Calviniani: quod v3. non sit necessaria ad
docendi munus aliqua vocatio: sed quicumq; alicujus e-
ruditionis sibi conscius sit, vel cui aliquid revelatum fu-
erit: is etiam si mercator vel agricola, sutor, sartor aut a-
lius sedentarius opifex fuerit, sine ulteriori vocatione
docere potest: quæ etiam praxis est apud Anabaptistas.

Sed hos manifeste refellit id quod supra ex Jeremiæ
23. & 27. tum etiam ex Christi admonitione Matt. 7. ad-
ductum fuit. Cui addamus quod Paulus Rom. 10. scribit:
*Rom. 10.
Hebr. 5.* Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? & ad Hebr. 5.
Nec quisquam sumit sibi honorem, nisi qui vocatur à
Deo, sicut Aaron.

*Confirma-
tio & con-
firmatio.* Propterea quotquot in Ecclesia unquam docere cæ-
perunt, si non publice aliàs constaret, eos ordinarie ad
docendum vocatos fuisse: semper initio suarum concio-
num, ut suam vocationem probarent, solliciti fuere, ut
ex Prophetarum & Apostolorum monumentis liquido
constat. Neq; aliquis eo impudentiæ progressus est, qui
se à seipso excitatum hanc provinciam adiisse dixerit.

Quin

Quin etiam id qui fecerint: tamen ab ano vocati semper
videri voluerunt.

Jus vocandi ministros verbi, proprie & originaliter ad
Deum unice spectat. Is siquidem non dico supremus, sed
solus suæ Ecclesiæ dominus, Rex & caput est. Itaq; hoc
jus sibi reservatum habet. Quod iterum è superioribus
manifestum evadit. Etenim è Jeremia percepimus: quod
eorum ministerium nequaquam approbat, qui ab ipso
missi non erant, quamvis à Regib. populo, sacerdotibus,
aut quibuscunq; aliis vocati fuerint. Atq; hic peculiari-
ter notandum est, quod scripura toti S. S. Trinitati hæc
potestatem adscribit. De Patre n. legitur Matt. 9. Ro- *Matth. 9.*
gate Dominum messis ut mittat operarios in messem su-
am. De Filio. Eph. 4. Ipse est qui ascendit super omnes *Eph. 4.*
cælos ut impleret omnia. Et ipse dedit quidem Apосто-
los, quosdam a. prophetas, alios v. Evangelistas, alios a.
pastores & doctores. &c. De S. Sancto v. Act. 13. & 20. c. *Act. 13.*
13. dicit S. Sanctus: segregate mihi Paulum & Barnabam
in opus ad quod assumsi eos. c. 20. Attendite ergo vobis *Act. 20.*
& universo gregi in quo vos S. Sanctus posuit Episcopos
regere ecclesiam Dei, quam proprio sanguine acquisivit.
Si quis alius hoc jure utitur, ei non proprietarium: sed à
Deo delegatum & indultum esse statuendum est.

Quia v. Deus ipse non semper immediate: sed interdū
per alios hoc exequitur: ut in superiorib. dictum fuit: in-
de vocatio ministrorum duplex originem trahit: ut alia
immediata & extraordinaria, alia ordinaria & mediata
vocetur.

Immediata vocatio dicitur, quando Deus ipse vel as-
sumta aliqua persona, vel per visionem quamcumq; aliā,
se alicui revelaverit, eumq; vocaverit, & necessariis do-
nis instructum ad prædicandum suum verbum miserit.

C 2 Quo

Quo modo prophetae in V. Test. & Apostoli in Novo T. vocati esse dicebantur.

Hoc modo qui vocati videri volunt, eos oportet suae vocationi fidem facere, aut divinis miraculis, aut aliis Spiritus S. testimoniis & indiciis, praesertim si aliquid novi, praeter doctrinam prius traditam in Ecclesiam introducere moliantur, secus illis nulla fides habenda est. Ut ex Deut. 18. patet. Sin v. contra doctrinam in Scripturis traditam aliquid docere satagant, ne quidem signis & prodigiis fidem merebuntur. Sicut haec omnia in superiori relatione latius dicta & confirmata audivimus.

Mediata vocatio dicitur, quando Deus quidem ipse vocat & mittit: sed per alios homines, quibus hanc potestatem concessit. Quo modo ordinarii sacerdotes in V. T. Et Episcopi ac presbyteri in N. Test. vocati sunt.

Aaron quippe & filii ejus Deo mandante per Moysen vocati & in sacerdotes uncti sunt. Quorum vocatio à Deo rata habebatur. Episcopi & presbyteri in civitatibus primi quidem ab Apostolis electi & constituti sunt, & ab his vicissim alii. ut Act. 14. & 1. Tim. 4. indicatur.

Est v. haec vocatio modo legitime fiat, non minus divina quam prior. Etenim de mediate vocatis scriptura etiam testatur quod à Deo vocati sint. Ut de presbyteris Ephesi a Paulo & Timotheo vocatis Act. 20. videre licet.

Verum hic alia suboritur quaestio: Quae videlicet illa sint media, per quae Deus hoc modo ministros in ecclesia vocet? vel ut idem aliis dicatur verbis. Cui Deus jus & potestatem ordinarie vocandi ministros ecclesiae commisit?

Etenim in papatu pontifex Romanus cum suis Episcopis & praelatis, Magistratu civili & Ecclesiae suffragio prorsus excluso, hanc potestatem sibi arrogat. Apud Anabaptistas populo vel promiscuae multitudini attribuitur.

Alibi

Alibi Magistratus civilis id juris habere creditur. Quorum nihil cum veritate congruum reperitur.

Nos igitur ductum verbi divini, & exinde petitam superiorem relationem secuti, quod verissimum sit indagare conabimur. Primum igitur distinguimus tempora, & dicimus in V. T. à condito Mundo ad Moysen usque tempora, neque Magistratus fuisse, nec populi, neque ministerii Ecclesiastici, Ecclesiae doctores praeficere: Quin hereditario jure docendi munus primogenitis compete-
tebat. Imò Magistratus civilis & Ecclesiasticus conjuncta munera fuerunt & ad eundem spectabant. Deinde ab eo tempore ad Christi adventum, neque electio locum habebat: Sed hoc muneris ad tribum Leviticam unice pertinebat. Quae omnia similiter ex superiore indubitata relatione manifesta sunt.

In Novo v. Testamento, primum dico hoc jus, non ad hunc vel illum statum in specie: Sed ad totam Ecclesiam pertinere sive illa ex uno statu sive pluribus constet.

Etenim primo Christus Matt. 18. Ecclesiae claves Regni caelorum tradit, juxtaque addit: Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo qui est in caelis. Adde jam: Si claves Ecclesiae, hoc est, spirituale regimen quod per claves intelligitur, Ecclesiae ipsi sint traditi: profecto ad Ecclesiam pertinet Doctores & gubernatores sibi eligere & praeficere: ut ex Reramp. formis perspicuum est. Deinde Ecclesiae Deus verbum & sacramenta concedidit, ut ad Rom. 3: 3. liquet. Exinde consequitur Ecclesiae esse ministros verbi & sacramentorum constituere. Quod tertio Paulus evidentius comprobatur. 1. Cor. 3. omnia vestra sunt inquit, sive Paulus sive Apollo, sive Cephas &c. Si ministri sunt Ecclesiae, ejus profecto est ministros eligere.

Matth. 18.

Rom. 3.

1. Cor. 3.

Propterea etiam quoties verbi minister eo mittendus fuit, ubi adhuc nulla Ecclesia erat: Sed ethnicae religioni omnes etiam dediti fuerunt: is ab Apostolis aut eorum successoribus. Episcopis & presbyteris aliis, non expectata paganorum vel electione, vel postulatione vel denique suffragio missus est. Imo tantum abest ut vel populi vel Magistratus gentilis suffragium requisiverint, ut etiam iis invitatis cum extremo vitae periculo in eorum, urbibus & pagis docuerint. Unde etiam plures eorum, aut non recepti, aut vicissim eiectioni, aut morte mulctati sunt. Ex quibus, nemo tam stupidus est quin intelligat ad statum Ecclesiasticum hoc jus pertinere.

Deinde dico: quod ubi populus vel ejus aliqua pars ad Euangelium conversa, & sic Ecclesia. Christo collecta est, ibi doctores Ecclesiae, cum Ecclesiae, hoc est, auditorum & status oeconomici suffragio & consensu eligi debent. Id quod primum ratio ipsa docet. Etenim cum Doctores Ecclesiae nec ipsi totam Ecclesiam constituunt, nec Ecclesiae Domini sunt. Ut ex 1. Pet. 5. patet: Sed ministri & dispensatores ut 1. Cor. 4. nominantur; neque sine Ecclesiae consensu in his quicquam tentare debent.

Deinde praxis Apostolorum & primitivae Ecclesiae idem evincit. Apostoli namque licet exigua tunc esset ecclesia, tamen ejus suffragium in electione Doctorum mox requirere ceperunt. Ut in electione Matthiae in locum Judae supra ex act. c. 1. audivimus. Quod etiam in electione septem Diaconorum, ex iisdem act. c. 7. videre licet. Imo c. 14. perspicuis verbis refertur Paulum & Barnabam per suffragia presbyteros in civitatibus constituisse. Quorum quos suffragia nisi auditorum quibus perficerentur? Si Apostoli quorum tanta erat autoritas sine consensu auditorum presbyteros constituere noluerunt, quanto

Propte-

Matt. 16.

Act. 20.

1. Pet. 5.

1. Cor. 4.

Act. 7.

Act. 14.

id

id minus a nobis fieri debet, qui cum illis non sumus auctoritate conferendi. Ex quo iterum planum esse existimo, jus vocandi ministros Ecclesiae, etiā ex parte ad auditores & statum œconomicum pertinere.

Tertio deniq; & hoc asserimus, quod ubi status politicus, hoc est Magistratus, est Christianus & cum reliquis in fide & religione consentiens, ei etiā hoc jus ex parte cōpetat. Etenim si ecclesiae suffragium nullo ejus membro excluso in hac electione requiritur: certè etiā Magistratus politici ut præcipui membri consensum accedere oportet. Tantoq; magis, quod Magistratus Ecclesiae nutritivus esse, & præcipuā ejus curā gerere debet. Ut apud

Esa. 49.

Esa. 49: 13. videre licet. Eiq; cura & custodia utriusq; tabulae cōmissa est. Atque ideo si vel Doctores Ecclesiae sui officii inmemores, ecclesiis idoneis pastorib. prospicere negligenter, vel auditores ipsi, pastores non magnopere desiderarent, Magistratus politici esset, suis subditis hac in re sua cura & providentia subvenire. Quamobrē hoc jure quantum per Leges licebat, non tantum pii Reges in V. Test. David, Salomon, Ezechias, Josaphat, Josias, ut ex eorum historia videmus: Sed etiā Christiani principes & imperatores in N. Test. usi sunt. ut hist. Eccl. testatur. Illud tamen obiter hic tenendū est. Quod hoc jus ad jura Magistratus politica quæ Regalia vocantur nequaquā pertinet: Sed Magistratui eatenus tantum competit quatenus ecclesiae mēbrum est. Duo siquidē distincta imperia sunt: Spirituale, quod est Ecclesiae, & mundanum q. est Regum & principum hujus seculi. In secularib. imperiis Regum & principum est, suos subditos secundū leges & statuta imperii gubernare, iisq; præfectos & judices sibi subordinatos præficere. Hic verbi Doctores subditi sunt, suamq; obedientiam iis præstare tenentur. In spiri-
tuali

tuali imperio quod est Ecclesiae, Christus totus est Dominus. Verbi Doctores sunt Apostoli sive Legati, ministri & dispensatores, per quos Ecclesiam suam regit & moderatur: Reges v. & principes æque ac eorum subditi, sunt Christi subditi, & cives Regni ipsius, eiq; ac ministris ejus obedientiam debent, atq; hætenus etiā suffragium in eligendis Ecclesiae ministris habent.

Ex his omnibus perspicuum atq; evidēs esse mihi persuadeo, quod toti Ecclesiae, nec alicui ejus parti vel statui in specie, vel soli, jus vocandi ministros competat, nisi vel aliqua pars sola Ecclesiam constituat, vel reliquæ suo in hac re officio desint. Nam ut repetam, Sicut Doctores Ecclesiae, ejus Domini non sunt: Sed ministri & œconomi, itaq; sibi solis hanc potestatem arrogare nō debent: Sic nec Magistratus civilis ejus Dominus: sed tantum membrum est: Itaq; eandem ob causam nec ille sibi soli eam vindicare debet. Multo minus deniq; vel Democratia vel anarchia in Ecclesia est, ut populo id neglectis Doctoribus & Magistratu civili concedatur.

Hic porrò dicendum esset, quo ordine Ecclesiae ministri vocandi sint: Cujus nimirum sit primo Ecclesiae ministrum nominare & alteri parti præsentare, cujus eum confirmare & deniq; impositis manibus ordinare: Sed quia vereor ne temporis angustia præcludamur, brevius hæc dicam, quam res ipsa postulat.

In primis a. extra controversiam est, ordine aliquo hoc fieri debere. Deus enim Deus ordinis est non confusionis. Itaque necessum est, ut aut Ecclesia sibi virum aliquem idoneum eligat, eumque probandum & examinandum Ministerio offerat, qui si à Ministerio cujus hoc interest, fuerit approbatus, & à Magistratu ulterius confirmatus, legitime vocatus censetur. Aut

D

Mini-

ad ecclesiam mittit, qui li cum consensu Magistratus vel tacito vel expresso ab ecclesia recipiatur, idem erit iudicium. Aut deniq; Magistrat⁹ aliquē mittit, qui a ministerio exploretur, & in Ecclesiam libere recipiatur. Undecunq; horum vocationis initium fiat, modo consensus reliquorum spontane⁹ accedat, quo ad substantiam legitima censei potest. Secus si pars aliqua violenter hoc negotium tractet, ac reliquis invitis aliquem obtrudere velit. Enimvero si falsus propheta fuerit, nemini obtrudi debet: Sin verus, ne tum quidē id tētandum erit. Quia Margaritæ porcis non sunt projiciendæ. Ut Christus Matt. 7. discipulis mandavit.

Matt. 7.

Interim si ordinem in Ecclesia convenientem ac usu receptum servare, & perniciosam ataxiam evitare velimus; ecclesiis vel auditoribus liberam electionem & nominationem, Ministerio examen & iudicium, Magistratui, si opus sit, confirmationē permittere debemus. Quæ tamen expressa & literis comprehensa, non est semper necessaria, nec nisi in Episcopatibus, Superintendentiis, & nonnullis majoribus ecclesiis requiri solet. Ut ipsa praxis testis est evidentissima. Vel si auditores idoneum virum aut ignorent, aut nominare & præsentare negligant: Ministerii fuerit, idoneum virum eis offerre, & cōsentientibus ordinare ac præficere. Ut ordinantia ecclesiastica ex verbo Dei nobis præscribit. Magistratus v. politicus rarissime hujus rei initium facit. Et si fecerit iudicium tamen Ministerio semper cōmittit: nisi vel tyrannidem in Ecclesia exercere velit, vel jus vocandi ministros sibi soli competere falsa persuasione existimet, vel deniq; Ecclesiæ & politici regiminis differentiam ignoret.

Jus patronatus.

Jus patronatus quod in quibusdam locis nonnulli habent.

bent, humana tantum constitutio est, & tam diu tolerari potest, quam diu legitimā & verbo Dei convenientē vocationem non impedit. Secus si aliquis eo abuti, & legitimā vocationē turbare velit, sicut aliæ constitutiones humanæ, verbo Dei cedere & abrogari debet.

Competit v. hoc jus iis tantum, qui templum aliquod parochiale, vel fundarunt, vel fundatum exstruxerunt, vel exstructum fundo aut rediv. dotarunt. Ut jura ipsa loquuntur. Qui aliās illud sibi vendicant, malo titulo id faciunt, nec ullo jure defendere possunt.

Etenim lib. 3. Decret. tit. 38. sic habetur. Si quis Ecclesiā cum consensu Diocesani construxit, ex eo jus patronatus acquirit. Et Glossa:

Patronus tribus de causis efficitur: Dotatione, Constructione & Fundatione. De quibus in ipso jure prolixius agitur.

Nec est jus patronatus omnimoda potestas eligendi & vocandi Ecclesiæ Ministrū, sine Ministerii Ecclesiastici iudicio & consensu; sicut qdam sibi falso imaginantur. Sic n. expresso hac de re Dei verbo contraveniret: Sed tantū quantum legibus est definitum. Quod Antonius de Burio, de jure patronatus sic definit. c. 21. Patronus ex jure patronatus non habet potestatem conferendi beneficia: sed tantum præsentandi. & c. 25. Tria acquiruntur acquisitione juris patronatus: potestas præsentandi, jus honorificentia in processione, & jus alimentandi patronum ad inopiam redactum. Nec patroni debent imminuere Ecclesiæ vel Ministrorum bona & redditus; sed defendere. Ut Casar Lambertus inquit de jure patr. Art. 12. Patronus debet impedire ne redditus patronatæ Ecclesiæ in alios usus convertantur, quam ad quos foundationis tempore fuerunt deputati. Hæc atq; his si-

mina ad Patronorum jura spectant: non vero ut ministros Ecclesiæ, quibus Deus in hoc & aliis ad eorum officium spectantibus claves & regimen Ecclesiæ commisit, in suo jure & officio impediunt aut perturbent.

Atq; hæc de vera & legitima vocatione, ex quibus de non vocatis & illegitima statuere haud erit difficile. Contraria enim contrariorum sunt consequentia.

Prorsus igitur non vocati censentur, qui vel à seipsis aut ambitione, & gloriæ cupiditate, aut spe propriæ utilitatis, aliisve causis, vel à diabolo excitati, falsas apparitiones & insomnia sibi effingunt, auditores & discipulos congregant iisque falsas opiniones insinuant. Hi quantumvis docti & eruditi, quantumvis pii, modesti & idonei ad hoc munus esse videantur: tamen sub pelle ovina lupi rapaces sunt, & haberi debent, qui gregem Domini dilaniant & dispergunt, à quibus ut caveamus nobis, Christus ipse serio monet.

Deinde illegitime vocati sunt, qui aut à Magistratu & Ministerio, Ecclesiæ alicui contra ejus liberum consensum obtruduntur: aut ab Ecclesia aliqua sine Magistratus & Docentium spontaneo suffragio suscipiuntur & retinentur. Siquidem ut Apostolus inquit 2. Tim. 4. postremis temporibus quidam coacervabunt sibi Doctores, qui sunt prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.

Tertiò etiam illegitime vocati sunt, qui muneribus & largitionibus aut amicorum & cognatorum intercessionibus, sive apud hanc sive illam partem id agunt: ut ad docendi munus promoveantur. Nam si rectè perpenderent, quibus quantisque molestiis & difficultatibus refertum & obsitum sit hoc munus, modo quis rectè ei præesse velit, nequaquam tanto studio & conatu id affectarent:

Quin potius vocati se se lubtrarent aut excusarent; ut a legitime vocatis sæpè factitatum legimus. Verum quia non tam hæc considerant; quam oculos in quasdam alias comoditates, huic muneri interdum conjunctas, fixos & intentos habent, atq; suum non Ecclesiæ commodum quærunt: idcirco quibuscunq; possunt mediis huc adspirant.

Hi illegitime vocati statuuntur, qui etiam si rebus omnibus salvis, & florente Ecclesiæ statu, interdum boni & fideles pastores esse videntur: nihilominus revera nihil aliud sunt quam Mercenarii: qui quam primum aliquod periculum à lupis & furibus ingruit, primi sunt qui fuga sibi consulunt & à vera religione, idque cum maximo Ecclesiæ detrimento turpiter deficiunt. Siquidem non tam Ecclesiæ commodum quam proprium emolumentum & stipendium respexerunt. Ejusmodi Doctores & verbi ministros, neque magnificere debemus: quin potius legitime vocatis contenti, illegitimos repudiare & procul abigere tenemur.

Atque hæc quidem sunt quæ de præsentis materia, non quidem quemadmodum & quantum res ipsa postulat: sed ut, quantumque tempus & mearum occupationum ratio permittit, dicere mihi propositum fuit.

Accedam nunc denique ad illud, quod initio me facturum dixi, & cujus gratia hæc potissimum instituta fuit oratio. Nimirum, quia jam Dei O. M. summi suæ Ecclesiæ præsidis & gubernatoris nutu & providentia non tantum ad docendi munus: sed etiam ad inspectionem & præsulatum hujus Dioceseos sum vocatus; ut mihi creditum munus in nomine S. Sanctæ & adorandæ Trinitatis suscipiam, ejusque auxilium in eo rectè gerendo implorem. Etenim si quod aliud munus est, quod fortitudinem, prudentiam, constantiam & consimilia dona requirit;

Hoc certe maxime : cum ex eorum sit numero, quæ non nisi matura ætate & iudicio viris cõmitti solent. Itaque Christus suos Apostolos eorumq; Successores, Doctores & Episcopos salî comparat, vos inquit estis sal Mundi. Quo sapientiam denotat. Et alibi expressius prudentiam in illis requirit. Estote inquit prudentes sicut Serpentes & simplices sicut columbæ. Et vicissim alio loco, fideli & prudenti Servo eos comparat, quem Dominus suæ domui præficere vellet. At v. cum hæc dona nobiscum nata nõ sint, neq; nostra diligentia & industria facile parantur: sed desuper veniunt à patre luminum, à quo omne datũ optimum & donum perfectum descēdit, ut inquit Jacob. c. i. etiã ad ipsi⁹ pedes nos prosternere ab eoq; hæc petere oportet. Sicut ibidem Jacobus sedulo monet : Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnib. simpliciter & non impropert, & dabitur ei. Id quod etiam præter alios fecisse Salomonem legimus, quando ei populi Dei gubernatio fuit commissa.

Ad te itaq; Misericors & æterne Deus, tuo suasu & hortatu, tuorumq; exemplo me converto, ad te inquam, qui omnis Sapientiæ & Bonitatis fons & origo es, teque suppliciter & humilime rogo, da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis : quoniam servus tuus sum & filius ancillæ tuæ, homo infirmus & exigui temporis, minor quam ut iudicium & mentem tuã possim intelligere. Nam etiam si quis fuerit perfectus inter filios hominum : tamen si Sapientia absit tua, nihili æstimabitur. Tu me elegisti in pastorem gregis tui, & in præsidem servorum tuorum : iussisti ut pascã oves tuas, & præsim eis ad mentẽ & cor tuum. At tecum solo est Sapientia, quæ quid velis novit, & quod mandas exequitur. Hanc demitte è sanctis cœlis tuis, atq; è folio gloria

gloriæ tuæ eam mitte, ut præiens mecum laboret, atq; intelligam quæ tibi accepta sunt. Novit n. ac intelligit omnia, ac me deducet in actionib. meis moderate, atq; in gloria sua custodiet. Et erunt accepta opera mea, ac rectè iudicabo famulos tuos, eroque dignus sede antecessorum meorũ. Quis n. homo intelligit consilium tuum, aut quid tu velis animo comprehendit. Nam cogitationes Mortalium timidæ sunt, & nostræ opiniones fallaces. Corpus n. corruptioni obnoxium aggravat animam, & terrenum domicilium, plenam curarum Mentem deprimit : ac vix quæ terrena sunt conjectura assequimur, & quæ in manibus versantur cum labore invenimus : Quis a. ea pervestigabit quæ in cœlis, & consilium tuum quis novit? Sed si dederis Sapientiã, & de altissimis S. Sanctũ tuum miseris; ita viæ nostræ dirigentur, & quæ tibi placeant faciamus, & tua Sapientia conservabimur. Quod ut nobis largiaris, per eandem Sapientiã tuam, quæ est filius ipse tuus Dominus & redemptor noster Jesus Christus, te iterum atq; iterum humiliter & devotè rogamus.

A colloquio cum Deo ad vos me viri Reverendi Clarissimi, Doctissimi & Humaniss. fratres in Christo dilecti converto, Et siquidem à Deo quidem: attamen per vos, vestrisq; suffragiis ad hoc munus sum vocatus, à vobis etiam officiosè & fraterne peto, ut vestra quoq; ope & studiis me in hoc munere juvare & sublevare velitis. Etenim si obedientes & morigeri fueritis in iis, quæ ratione mihi concrediti muneris vobis mandare necessum habeo, si mecum & inter vos ipsos concordetis, si quilibet in suo officio sedulus & diligens, atq; intra sui officii limites manere velit, Sãcte deniq; & inculpate, ut Servos Dei decet vivere conemini : mihi hoc mun⁹ non modo leve : sed etiam perfacile & jucundũ reddetis. Sin verò contra

man-

mandatis superiorum inorgeri, inter vos ipsos discordes & contentiosi, in officio segnes, falcem alter in alterius messem mittentes, in vita & conversatione dissoluti esse velitis: Munus quod alias in se satis grave & molestum est, mihi duplo gravius & molestius estis reddituri. Verum ad obedientiam, concordiam, fidelitatem & diligentiam atque alias virtutes vestro munere dignas vos adhortari, vel per se integram requirit orationem. Quamobrem hac re in presentia supersedeo. Praesertim cum nequaquam dibitem quin quisque vestrum Spartam quam nactus est sua Sponte exornare conetur, sibi que conceditur muneris rationem aliquando reddendam non ignoret.

Ad conclusionem ergo festinemus. Deus Opt. M. qui Ecclesiae suae se perpetuo affuturum promiserat. Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel: sed ubi duo vel tres tantum sunt congregati in nomine ipsius, in medio eorum est, & nobiscum etiam ad consumationem seculi se mansurum pollicitus est: Is inquam nobiscum sit omnibus, suoque Sancto Spiritu nos omnes regat & gubernet, quo ita quisque suo numeri praesse valeat, ut cuncta quae suscipimus, agimus, perficimus in nominis ipsius aeternam gloriam, in Ecclesiae ipsius aedificationem, & propriam cujusque salutem sempiternam cedant. Quod faxit ille idem Misericors benignusque Deus per Jesum Christum filium suum dilectum, cui laus & gloria cum patre & Sancto Spiritu nunc & in omnia secula.

D I X I.

8

O R A T I O
I N T R O D U C T O R I A
ad Archiepiscopatum Ub-
saliensem,
De
R E G N I C H R I S T I
in terris, seu Ecclesiae militantis le-
gitimam CONSTITUTIONE, nec non
legitimam constitutae diuturnam CON-
SERVATIONE.

Habita.

U B S A L I A E,

In Collegio Veteri Majore, presentibus Magnificis, Illustribus, Reverendis, Nobilissimis, Claris. Doctis. Venerabilibus. & humanis. Ordinis Ecclesiastici, Academicis & Politici personis, die Divo
Matthaeo sacra, quae est XXI.

Septembris, Anno

της ρεισοζωίας,

CLD. LXXVII.



Excudebat Aeschillus Matthiae Acad. Typog.